

C. B. D.  
DISSERTATIO MORALIS,  
De  
DIVITUM  
EGGESTATE,

Quam  
IN ALMA PHILUREA;  
Inclytæ Facultatis Philosophicæ  
Consensu,  
P R Æ S I D E  
DN.

M. VALENT. FRIDERICI,  
SS. Theol. Baccal. Facult. Phil. Affef-  
fore, Collegii Principum minor. Col-  
legiato,

Ad diem 13. Januar. A. clō. Idc. LXXXVI.  
In Auditorio Majori

*Publicæ placidæq; Eruditorum Ventilationi  
sistit*

AUTOR-RESPONDENS  
CHRISTIANUS Strickny/  
Vratislaviensis.

Coll. diss. A  
36, 55

Typis CHRISTIANI Gözl.

3.

17.  
a. XXXVI. 55.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the age of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the age of the paper.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the age of the paper.



# PROOEMIUM.



Um in viâ ad cœlestem Patriam sumus Divites ac pauperes, circumspicere nos oportet ambulamus omnes. Enimverò tot utrisque irritamenta dicam an impedimenta occurrunt, quotidiè, ut charta hæc iis non sit recensendis. Divites haud facilè ingredi in Regnum Cœlorum, qui Veritas ipsa est, jam olim edixit. Habet adhuc laqueos suos Serpens antiquus, quibus irretire opulentos nunc directè nunc indirectè conatur, & nisi pii ac prudentes sint illi, vix evadere eos queunt. Loquuntur hinc inde hæc de re non minus Sacra, quàm Profana Historiarum Monumenta. Egentes verò ac pauperes jam Diffidentiâ in DEUM aggreditur Satanas, jam per Divites ac potentes eosdem magis deprimit satis alioqui depressos, ut ne hiscere quidem queant, & nisi spe auxilii divini è sanctissimo DEI verbo erigerentur, ipsis omnino esset pereundum. In periculosa tali via constituti sanè sunt Divites pariter ac pauperes. Arridet Materia hæc, quâ de prolixius paulò, Exercitii Academici loco, in Dissertatione hæc agamus. Fatemur verò sub initium statim imbecillitatem nostram, indequè quò minores sunt vires nostræ, eò magis Divinum nobis Auxilium humiliter exoratum, succursurum firmiter speramus. Sit igitur

## THESIS I.

DE Divitum Egestate acturi *σὺν Θεῷ* ab ovo, quod ajunt, ordiamur. Dives vel à Divo nomen habet, *Varro Lib. 4.* vel à Dite, cum omnes è terrâ sint Divitiæ, & in terram redeant. Dicitur Dives aliàs opulentus, ab ope, Etymologiâ optimâ. Græcè *πλούσιος* quasi *πολύσιος*, unde Pluto & Plutus descendere putantur.

*Etym.*

## II.

Dives porrò dicitur à Divitiis, quæ vox accipitur vel impropriè vel propriè. Impropriè pro rei alicujus amplitudine, vel immensitate, copiâ, abundantia, excellentiâ. Ita (α) in *Spiritualibus*, Excellentia illa Dona & Bona spiritualia cœlestia, quæ

Deus



Deus fidelibus concedit, & quæ non sunt divitiæ fluxæ, cadu-  
cæ, incertæ & fallaces, dicuntur Divitiæ. Talis spiritualium,  
Bonorum abundantia tribuitur CHRISTO, *Apocal. V. v. 12.*  
*Coloss. II. 2, 3.* Beneficia profectò excellentissima, immensa,  
incredibilia Gentibus, præter spem, benignissimè communi-  
cata fuerunt, nempe Vocatio ad cognitionem DEI, Reconcilia-  
tio cum DEO, Remissio peccatorum, Vita æterna, *Ephes. III. 8.*  
*2. Cor. VI. 10.* *Augustinus in Psal. CXXII. T. 8. Operum p. 1451. A. B.*  
Quæ sunt veræ Divitiæ? Celestis illa mansio in Hierusalem.  
Quis enim dicitur Dives in hâc terrâ? Quando laudatur Dives,  
quid dicitur? Multum dives est, nihil illi deest. Laus certa,  
laudantis illa est. Nam ista non est, cum dicitur, nihil illi deest.  
Attende si nihil deest. Si nihil cupit, nihil illi deest. Si autem  
adhuc cupit majora, quàm quæ habet, ad hoc accesserunt Divi-  
tiæ, ut Egestas cresceret. In illâ verò civitate veræ erunt Divi-  
tiæ, quia ibi nihil nobis deerit, quia nec indigebimus aliquâ re.  
(B) (B) In aliis etiam impropriè accipitur, tum pro homine doctri-  
nâ & sapientiâ refertò, tum pro homine potenti, nobili & pri-  
maria dignitatis. Iterum *Augustinus de C. D. Cap. XII. p. 30. T.*  
*V. C.* Dicimus Divites, sapientes, justos, bonos, quibus pecu-  
nia vel nulla vel parva. Magis enim sunt virtutibus Divites,  
per quas eis etiam in ipsis corporalium necessitatibus satis est,  
quod adest. Mox addit *Augustinus*: Et Deum ipsum verum re-  
fè dicimus divitem, non tamen pecuniâ, sed Omnipotentiâ.

### III.

vel Propriè.

Propriè accipitur vox Divitiæ non minus Positivè, quàm  
Privativè. Positivè pro amplissimis bonis temporalibus, unde  
Dives propriè dicitur, qui amplissima bona temporalia possi-  
det; Privativè, qui bonis careat. Hoc ita intelligendum est:  
Paulus scribit se posse abundare & penuriam pati, *Philipp. IV. 12.*  
& tamen in omnibus contentum esse, *v. 11.* Quemadmodum  
enim Divitiæ veræ non tam in accipiendo, quàm dando confi-  
stunt, juxta illud: meliùs est dare, quàm accipere, quod expli-  
catum lege in *Renecii Clave Scripturæ p. 217.* Si nimirum justo  
loco & tempore dentur: ita eadem non tantùm in habendo  
con-



consistunt, sed & in carendo, si quis in loco careat; in loco autem carent, qui aliena non appetunt, sed suâ sorte contenti vivunt. Is sanè Dives est, non qui multum, sed qui satis habet, quæ res magnæ felicitatis instar est, hominesq; DEO facit similes, qui nullius rei indiget. Et si rem æstimamus, ut verè in se est, habentes multa non sunt divites, nisi animum simul habeant suâ sorte contentum, aliàs plura semper appetunt & nunquam exsatiantur. Quâ molestiâ supersedere potest, qui multis supervacaneis imprimis caret. Unde Paulus alibi maximum vocat lucrum Pietatem cum ἀναγκεία, 1. Tim. VI. 6. Lutherus Tom. V. Altenburg. p. 813. a. Wo ein Herz wäre / das ihm fürchte genügen lassen / und zu frieden seyn / so hätte es Ruh / und das Himmelreich dazu / da es sonst bey grossem Gut / oder ja mit seinem Geiz / hier das Segfeuer und dort das höllische Feuer dazu muß haben / und wie man sagt: hier mit einem Karn / und dort mit einem Rad muß fahren / das ist / hier Jammer und Angst / dort das Herzeleid haben. Mox eadem paginâ: Wir sehen und erfahren / daß alles daran liegt / wer ihm läßt genügen / und nicht am zeitlichen Gut klebt / als mancher ist / wenn er gleich nur einen Bissen Brodt hat / kan ihm Gott das Herz füllen / daß er frölich und besser zu frieden ist / den kein Fürst noch König. Acute in Capitulis Patrum c. 4. אִתּוֹ עֵשֶׂר הַמַּשְׁמָחָה Quisnam est Dives? qui gaudet in portione suâ. Sic: אֵין לך נַחַת רוּחַ גְּרוּל מֵהַשְׂמָחָה בַּחֲלָקוֹת Non est major tranquillitas, animo suâ sorte contento.

IV.

Partes Divitiarum & olim fuerunt & hodiè sunt: Copia auri & argenti, copia pecuniæ, copia vestium, possessiones multæ, agrorum, olearum & vinearum, possessio multorum servorum, ancillarum, vernarum &c. Dabimus hoc probatum, non minùs ex sacris quàm profanis. *Partes Divitiarum.*

V.

I. Copia Auri & Argenti erant pars Divitiarum, hinc aurum & argentum multiplicare est magnas divitias sibi comparare, quod nefas erat Regi apud Israëlitas, ne studio ditescendi rapinis subditos opprimeret, & ex divitiis insolescendi materiam *1. Aurum & Argentum.*



riam sumeret. *Deuter. XVII. 17.* Cur aurum Mammon dicatur, lege *Tom. IV. Operum Lutheri fol. 720. b.* Plura de Auro invenies in *Indice super Scripta Lutheri pag. 863.* In *Bornitii Tractatu de Rerum Sufficiencia p. 42. 43. &c.*

VI.

II. Pecunia.

II. Copia Pecuniæ pars erat, juxta illud *Horatii*; Dives agris, dives positus in fœnore nummis. Hinc pecunias habere, perinde est, ac esse divitem, & cui non est pecunia, pauper dicitur. *Hugo Grotius de J. B. ac P. Lib. II. cap. 17. §. 22. p. 324.* pecuniam vocat rerum utilium mensuram. Eâ magna præstari possunt. *Autor Itinerar. Polit. p. 143.* Nummus, ait, est humanæ potentia Compendiû, argenteusq; malleus omnes portas etiã munitissimas confringens. Plura leges de Pecuniâ in *Indice super Scripta Lutheri, p. 848. 849.* in *Tract. Bornitii de Rer. suffic. p. 245.* In *Chokier Thesaur. Auct. p. 425.* *Christian. Hânel's Delineatione s. Epitome Rationum acquirendi pecuniam, est Dissut. A. 1668. habita.* In *primis Summè-Rever. Dn. D. Valentin. Alberti, Præceptoris æternum suspiciendi, Dissert. de Nummo, A. 1667. it. in Andr. Schotti, Tab. Rei Nummar. in Josephi Scaligeri Dissert. posthumâ. Evolve etiam, si placet, Marqvart. Freherum, Job. Aquilam de Potestate & Utilitate Monet. Jacobum Capellum, de Nummis, Erasm. Francisci im Sitter's Spiegel p. 707. Job. Bodinum, Lib. 6. cap. 3. Albertum Brunum, de Augment. & Diminut. Monet. Hermann, Cowringii Dissutat. de Re Numm. Helmstad. 1662.*

VII.

III. Vestes.

III. Copia Vestium pars erat Divitiarum. Sic vestes recensentur inter Bona & Facultates Ægyptiorum, quas abstulerunt Israëlitæ, *Exod. III. 22. XII. 35. 36.* inter bona & facultates, quas de præda hostium reportarunt Rubenitæ, *Jos. XXII. 8.* & *David, 1. Sam. XXVII. 9.* inter bona & facultates, quæ erant in Exercitu Syrorum, *2. Reg. VII. 15.* inter facultates & bona, quæ Naaman accepit, profecturus ad Elizæum, ut sanaretur à leprâ, & ex quibus accepit Gehasi, cum tunc non esset tempus accipiendi vestes, *2. Reg. V, 5. 22. 23. 26.* Quomodo etiam *Horatius Epist. 6. Lib. I.* & *Plutarchus* recensent, inter opes & bona Luculli ingentem vestium



vestium copiam, quâ ædes ejus instructæ erant. *De Vestib. vidd. Lazarus Baysius, Octavius Ferrarius, Albertus Rubenius, Cæsar Vescellus, Georg. Strabius &c.*

VIII.

IV. Possessio Agrorum, Vinearum & Olearum pars Divitiarum erant, ut constat tum ex Sacris, tum ex Profanis. *Ex Sacris 2. Reg. V. 26. Luc. XII. 16. Hinc agros, vineas & oliveta dare alicui est donare eum ingentibus Divitiis, 1. Sam. VIII. 14. XXII. 7. Ex Profanis, quando apud Veteres Autores Divites distribuuntur per id, quòd agros quamplurimos possideant. Virgilius de Sichæo Lib. I. Æneid. v. 347. ditissimus agri Phœnicum. Horatius Lib. I. Satyr. I. vel dic quid referat intra naturæ fines venti jugera centum, an mille aret. Ovid. Metam. Lib. 5. Dorylas ditissimus Agri, Dives agri Dorylas, quo non possederat alter latius aut totidem tollebat farris acervos.*

IX.

VI. Possessio servorum, ancillarum & vernerum inter Divitias referuntur; Sunt enim utilissima Patrifamilias instrumenta, ut præter experientiam colligitur ex *Gen. XII 16. XIV. 14. XX. 14. XXIV. 35. XXVI. 14. XXXII. 5. Exod. XX. 18. Deut. V. 21. 2. Reg. V. 26. Hiob. I. 3. Hinc magno malo afficitur Paterfamilias, cum servi ejus pereunt. Exemplum habemus in Hiobo Cap. I. 15. 16. 17. Quò malo Deus in pœnam peccati affecit Ægyptios contumaces, Exod. IX. 20. 21. & propter peccata Heroum servi à DEO puniuntur, e. gr. Servi Abimelechi, Gen. XX. 14. & Core, Num. XVI. 32. Quamvis etiam certo modo verum sit illud Hillelis in Pirkeavoth Cap. 2. מרבה עבדים מרבה גזל Qvi multiplicat servos, multiplicat fures, h. e. quot servos, totidem habemus hostes, Senec. Ep. 47. & ibidem מרבה שפחות מרבה זמין qvi multiplicat ancillas, multiplicat scorta.*

X.

Atq; hæ sunt Partes Divitiarum, quas Aristoteles sequentibus etiam complexus est *Lib. I. Rhet. C. 5. p. 617. B. πλέττα μέρη τῶν ἐξ ὀνόματι πλῆθους γῆς, χωρίων κτήσεως ἐπιπέδων, ἐπίπλων κτήσεως, καὶ ἀνδραπόδων, πλῆθους, καὶ μεγέθους, καὶ κάλλους διαφερόντων,*

των,



ἰων, Divitiarum partes sunt Nummi, multitudo terræ, locorum possessiones: præterea verò supellectilium possessiones & pecorum & servorum, qui multitudine & magnitudine & pulchritudine excellant.

XI.

*Divitiarū* Sed quæris, unde orientur & proveniant Divitiæ? Distin-  
*Causa prima* gendum esse censemus inter Causam primam & secundam.  
*est DEUS.* Causa prima, quæ à nullâ aliâ dependet, uti aliàs est Deus, ita  
*Testib. tum* etiam in Divitiarum collatione is agnoscendus est pro causâ  
*Scripturâ;* primâ, ab eo omninò & à benedictione ejus Divitias esse, sa-  
*tum B. Lu-* cræ paginæ abundè testantur. *Hagg.* II. 9. *Hiob.* I. 10. XLII. 12.  
*thero;* *Psalms.* XVII. 14. CXII. 3. *Prov.* X. 22. XXII. 2. XXX. 8. *Eccles.* V. 18.  
 VI. 2. Exempla in Isaaco, *Gen.* XXVI. 12. 13. 14. Salomone, *1. Reg.*  
 III. 13. *2. Chron.* I. 12. Ezechia, *2. Chron.* XXXII. 29. Cyro, *Jes.*  
 XLV. 3. Et Deus ille est, qui depauperat & ditat, *1. Sam.* II. v. 7.  
*tum Ethni-* *Proverb.* XXII. 2. Hoc agnoverunt nunquam non pii, e. gr. Ser-  
*cis.* vus Abrahæ, *Genes.* XXIV. 35. Jacob, *Genes.* XXXI. 9. XXXII. 10.  
 XXXIII. 11. Joseph, *Gen.* XLI. 52. Præfectus Domûs Joseph, *Gen.*  
 XLIII. 23. *Lutherus Tom. V. Altenb. p. 1238. a.* Es dencke ihm ein  
 Mensch nicht / daß er seine Erben wolle reich machen / denn Reich-  
 thum ist Gottes Gabe. Etliche arbeiten viel / darumb / daß sie Reich-  
 thümer und Güter erlangen wollen / und erlangen doch nichts / wie-  
 derumb werden viel reich / welche nicht sonderlich sich drum bemühet  
 haben. Da sollen wir also lernen / daß Reichthum Gottes Gabe ist /  
 darumb es heisset / arme Leute sollen nicht reich seyn / darumb lauff /  
 renne / forge / borge / thue was du wilt / so wirst du deine Erben nicht  
 reich machen / denn Gott wil arme haben.

XII.

*tum Ethni-* Agnoverunt hoc etiam Ethnici, qui Deo suo Gentili Di-  
*cis.* vitiarum originem adscripserunt. *Hesiod. Lib. II. Operum & Die-*  
*rum,* γένματα vocat θεόςδωτα. Et *Sappho* aurum, apud *Pinda-*  
*rum,* Jovis Filiam δὸς παύδα nominat.

XIII.

*Verae Divi-* Causæ Secundæ variæ afferri queunt, quæ divites reddant,  
*tiarū Cause* Veræ & Spuriæ. *Verae* I. Munera, quæ dantur. Exemplum  
 habe-



habemus in Hiobo *Cap. XLII. 11. 12.* Liberalitas Regum facile *secundæ*  
ditare potest, quamvis liberalitas illa non semper sit admitten- *sunt*  
da. Abraham rectè recusavit Munera Regis Sodomæ, ne dice- *I. Munera.*  
ret Rex; Ego ditavi Abrahamū, *Gen. XIV. 23.* Solent autem Re-  
ges Divitiis magnis ditare eos, qui egregia facinora pro Rei-  
publ. salute ediderunt, *1. Sam. XVI. 25.* Interdum pecuniâ op-  
pugnant, ut urbes vel alia expugnent, malè!

XIV.

Medium II. est Hæreditas. Quæ enim Divitiæ à Parentibus *II. Hæredi-*  
& Cognatis ad nos perveniunt, legitimæ sunt. Deus modum *tas.*  
Hæreditatibus præfixit, juxta quem distribuendæ sunt, legimus  
illum *Num. xxvii. 8.* Homo cum mortuus absq; filio, ad filiam  
ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit succes-  
sores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitur hæredi-  
tatem patruis fratris sui; sin autem nec patruos habuerit, da-  
bitur hæreditas his, qui ei proximi sunt.

XV.

Divitias comparat III. Sapientia & Prudentia, *Prov. XXI. 20.* *III. Sapien-*  
dicitur Thesaurus desiderabilis & oleum in habitaculo justo *tia & pru-*  
[sapientis] & imprudens homo dissipabit [devorabit] illud. *dentia.*  
Et *Proverb. XXIV. 3. 4.* Sapientiâ ædificabitur domus & pru-  
dentiâ roborabitur: in doctrinâ [scientiâ] replebuntur cella-  
ria, universa substantia pretiosa & pulcherrima.

XVI.

Conducit IV. Labor. Qui sedulò satagunt rerum suarum, *IV. Labor.*  
ditescunt, *Proverb. X. 4. XII. 24. 27. XIII. 4. XXI. 5.* justo labore  
augentur divitiæ, *Proverb. XIII. 11.* & transmittuntur Nepoti-  
bus, v. 22. Loquimur de nullo alio labore, quàm de Labore  
Vocationis. Ideò Salomon scribit, *Prov. XII. 11.* Qui operatur  
terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium,  
stultissimus est. Hoc modo Jacob Patriarcha magnas collegit  
divitias, *Gen. XXX.* Ethnici quoque agnoverunt, Deum pro la-  
boribus sua vendere Bona hominibus. Laborandum igitur, *Laborandū*  
omnibus est, non otium sectandum, propter sequentes ratio- *est propter*  
nes, (α) Mandatum DEI præcipientis laborem. (β) nostrara- *XI. Rationes*  
tio svadens laborandum esse. (γ) vocatio nostra, cui etiam

B

multis



multis laboribus non satisfieri à nobis potest. (d) ut multa peccata vitemus & compescamus, quorum pulvinar & fomes est otium. (e) ut habeamus vitæ subsidia, victum & alia necessaria ad vitam, quæ otium aufert. (z) ut benedictioni Dei fruamur, quæ procul remota est ab ignavis & otiosis. (n) Ut simus bono exemplo aliis. (h) Ut habeamus honestum locum in Republ. & famam bonam, ne excludamur & arceamur tanquam fuci, ignavum pecus à præsepibus & alveolis. (i) Exempla naturæ in formicis, in apibus &c. Natura enim non est otiosa, & nihil frustra facit, ut in metallis, herbis, & omnibus naturæ operibus, seu potius miraculis conspici potest. (x) Ut habeamus bonam conscientiam ergà Deum & proximum, quæ in otiosis non esse potest. (l) Ut consulamus valetudini corporis nostri, quæ sine exercitio laborum & motus quasi concidit & putrescit. *Selneccerus, Pædag. Christiana p. 224. 225.*

XVII.

V. Mercatura. Qua, ut licita, probatur Scripturâ Sacra;

Medium V. est Mercatura. Mercaturam honestum esse Medium ditescendi, probam<sup>9</sup> partim Scripturâ S. partim Ratione. Scriptura V. & N. T. Deus non damnat Mercimonia, sed tantum modum eis statuit, ne quis alterum in pondere, aut mensurâ defraudet, *Levit. XIX. 36.* Idem CHRISTUS facit *Luc. VI. 38.* & Paulus dicit, *1. Cor. V. 30.* qui emunt, sint tanquam non possideant, & *1. Thes. IV. 6.* ne quis supergrediatur aut circumveniat in negotio fratrem. Nec Apostolus Jacobus Mercaturam damnavit, sed Mercatores tantum monet, ut inter negotiandum sint memores mortalitatis suæ, & res suas secundum voluntatem DEI instituant, *Jacob. IV. 13. 14.* Quid? quod contractu Emptionis & Venditionis usi sunt Abraham, *Gen. XXIII. 16.* Jacob, *Gen. XXXII. 19.* Joseph, *Gen. XLVII. 16.* Jeremias *Cap. XXXII. 9.* Salomon laudat mulierem negotiantem, *Prov. XXXI. 14.* & Paulus purpurariam Lydiam baptizavit relicta eâ in negotiatione, tanquam vocatione suâ, *Act. XVI. 14.*

XVIII,

tum Ratione.

Præter Scripturam, quod Mercatura sit licita, probamus ratione, magna sanè est Mercaturæ necessitas in communi vita,



ta. Non enim Deus omnia dedit uni Regioni, Merces aliunde ad nos sunt advehenda, quod non minus tempore pacis, quam belli fieri solet: unde Mercatoribus belli tempore parcendum esse vult *Hugo Grotius de J. B. ac P. Lib. III. Cap. XI. §. 12. pag. 582.* Addit Canon, inquit, quod non tantum de his, qui temporariam in hostico moram agitant, intelligendum est; ac sub hoc nomine continentur simul alii opifices & artifices, quorum, quæstus pacem amat, non bellum. Tunc mediocre lucrum, tanquam merces laborum, ad honestam sui suorumque sustentationem concedi potest.

### XIX.

Duo verò cavenda sunt in Mercatura: (1.) Cum lucrum *Cautela 1.)* ultimus est finis Negotiationis, eamque ob causam res plus justo carius venditur, non ut justè nos sustentemus, vel labori debitam comparemus mercedem, sed immoderatum lucrum intendimus. Ita malè affecti sunt Judæi, dicentes in *Babylonia f. 54. col. 2.* נכסי גוים הם כמדבר כל המחזיק בהן זכה; Facultates Gentilium [Christianorum] sunt instar deferti, qui primus eas occupare potest, earum Dominus est. Sed melius monent *Talmudistæ* alibi, ut mercaturam exercens id faciat fideliter & sincerè. Verba eorum hæc sunt: מה יעשה אדם ויתעשר וירכור בסחורה וישל ויתן באמונה: Quid faciet homo ut dives evadat? Negotiabitur multum, idque fideliter, integrè ac sincerè. *Nidda fol. 70. col. 2.* Notatu digna hîc sunt verba *Chrysostomi in Matth. XXI.* Quicumque, ait, is, rem comparat, ut integram & immutatam vendendo lucratur, ille est Mercator, qui de Templo Dei ejicitur. Quodsi verò moderata compensatio laborum aut periculorum, quæ in re transferenda de loco in locum extimescenda sunt, petitur, nullum est peccatum: vel cum res in melius mutata vendatur, aut ab aliquo ob summam ejus necessitatem à possessore exigatur, qui aliàs eam vendere volebat, tunc loco emergentis damni ab eo, qui magnum ex re emtâ commodum sperat, aliquid ultra id, quod Mercator suo venditori dederat, ab emtore exigere potest.



- 2.) Cavendum (2.) Nec licitum, nec conveniens est, Personis Ecclesiasticis exercere Mercaturam. Ita *Paulus* ait *2. Tim. II. 4.* Nemo militans Deo misceat se negotiis secularibus. Quæ hîc de Mercaturâ objici possunt, unicâ distinctione tolluntur, inter Mercaturâ Usûm & Abusum. Plura de Mercatura qui desiderat, is consulat *Bonaventuram Seracha*, qui omnia, quæ ad hoc genus pertinent, uno Tractatu complexus est *Johan. Marquartum de Jure Mercaturæ*, *Gerardi Viveri Libros duos, de Utilitate Mercaturæ, cum intermixtis Epistolis eò spectantibus*, *Laurentium Mederum de ratione negotiandi seu contrahendi*; *Johann. Sommers Pragmatologiam s. Gründlichen Bericht von der Kauffmannschafft ihrem Ursprunge/ Würde/ Nothwendigkeit und vielem Nutzen.*

## XXI.

*Causæ Divitiarum spuræ sunt 1. Usura.* Hactenus veræ, nunc spuræ causæ, quas inter I. est Usuræ. Quæris quid de usura statuendum, an ea sit medium diritias comparandi licitè? Hic distingvendum esse censemus (1.) inter Usuram propriè dictam & inter pensionem annuam. *Disting. 1.* Propriè dicta usura dicitur lucrum, quod ultra sortem exigitur, cum maximo damno mutuarii. Græci vocant τόκος, fœnus propriam & five partum, quia nummus parit nummum. Hebræis dicitur pensionem nunc מַשְׁכָּן morsus, *Deut. XXIII. 19.* quia substantiam hominis admordet & paulatim consumit; nunc מַשָּׂה fœnus & onus, *Nebem. V, 7.* quia grave imponit onus mutuario; nunc תַּרְבִּית multiplicatio, *Proverb. XXVIII. 8.* quia per usum pecunia multiplicatur.

## XXII.

*Distingv. 2. inter tria hominum genera.* Distingv. (2.) inter tria hominum genera, pauperes, egenes & divites. A pauperibus, qui nihil omninò habent, unde mutuum reddant, neque id, quod ipsis datum est, nec lucrum ultra sortem illam petendum est. Egentes, qui bona quidem possident, at mutuis non negotiantur aut lucrantur, sortem suo tempore reddant, sed non ultra illam; Divites verò qui mutuis s. pecuniis s. rebus aliis negotiantur, aut alio modo fiscum aut Bona sua augent, & sortem reddere tenentur, & ultra eam, quantum Leges præscribunt, XXIII.



## XXIII.

Quisquis igitur propter solum mutuationis officium cum *Usurarius*  
 mutuarii damno usuram propriè dictam exigit, eum maximè *peccat.*  
 peccare statuimus, cum illud sit partim contra jus divinum,  
*Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 35. 36. Deut. XXIII. 19. 20. Psalm. XV.*  
*5. Proverb. XXVIII. 8. Nebem. V. 8. II. Ezech. XVIII. 7. 8. 13. 17. XXII.*  
 12. partim contra Jus humanum, de quo Dnn. Jcti.

## XXIV.

De Pensione annuâ [ usura licita s. compensatoriâ ] aliter *Pensio an-*  
 pronuntiandum est. Eam omnino licitam esse censemus, quia *nua est li-*  
 1.) Divitibus non sumus obstructi ad mutuum, qui pecuniâ *cita.*  
 non indigent ad necessitatem, sed utuntur ad amplificandas  
 opes suas. Quia 2.) in Lege divina non est interdicta, potius  
 eam concedere videtur, per Regulam Charitatis, à Christo præ-  
 scriptam, *Luc. VI. 31. prout vultis, ut faciant vobis homines, ita*  
*facite illis.* Quia 3.) hoc requirit charitas Christiana, quæ inci-  
 pit à seipsa. Paulus monet, ut Nostris benè præsimus, hoc au-  
 tem non fieret, si alii pecuniâ nostrâ lucrarentur, nobis interim  
 carentibus. Quia 4.) hæc census annui solutio est species gra-  
 titudinis, quam quis proximo debet, cujus pecuniâ res suas au-  
 xit.

## XXV.

Contra allata insurgunt *Leo X. in Concilio Lateranensi Sess. 10.* *Obj.*  
*Azorius part. 3. Instit. Moral. cap. 2. Lib. 5. Valentinianus Tom. III.*  
*Disp. 5. Q. 21. Pract. 2. §. 2. præceptum Christi urgentes, Luc. VI. 35.*  
 mutuum date nihil inde sperantes. Resp. distingv. inter mu- *Resp.*  
 tuum propriè & impropriè dictum: non de illo, sed de hoc lo-  
 quitur Salvator, de Eleemosyna. Scriptura Scripturæ non est  
 contraria. David dicit *Psalm. XXXVII. 21. impius mutuò acci-*  
 pit & non solvit. Qui de Usuris plura legere avet, evolvat *Hun- Autores de*  
*nium in 2. Cor. VIII. Gesnerum in Psalm. XV. Chemnit. Part. II. Loc. Usurâ.*  
*Theol. Gerhardum Tom. VI. Loc. Theol. Meisnerum Part. III Philo-*  
*soph. Sobr. Sect. 1. Cap. 6. Volum. 2. Georgii Dedekenni Consil. Theol.*  
*fol. 167. sqq. Balduini Cas. Consc. lib. 4. cap. 3. pag. 698. Andr. Prück-*  
*neri Vindic. Bibl. N. T. in Luc. cap. VI. 35. p. 413. A. Hugon. Grot. de*  
*J. B. ac P. lib. II. cap. 12. §. 20. 21. p. m. 260. 261. D. Cass. Zieglerum in*



XXVI.

II. Minora-  
tio monetæ.

Inter spurias Divitias comparandi causas referimus II. Minorationem Monetæ, quia 1.) tales Divites per benedictionem Dei non fiunt. Dicis, fiunt nihilominus Divites? Resp. non Deo volente, sed permittente. Quia 2.) minoratio ista evertit Leges Imperii fundamentales, quas magno numero allegare possemus. Quisquis autem contrariatur iis, is Deo ipsi reluctatur. Quia 3.) minoratio ista est infelix filia matris avaritiæ, tolle matrem istam, & non erit filia. Conscientiam certè lædit, qui propter privatum suum lucellum ex avaritia bonum ordinem in Republ. convellit. Quid Paulus 1. Tim. VI. 9. qui volunt, inquit, divites fieri &c. vide *Balduin. lib. 4. cap. 3. Cas. 6. p. 707.*

XXVII.

Spuria alia.

Haftenus Efficiens Divitiarum, quæ partim vera, partim fuit spuria, in quarum posteriorem classem jure meritoque referas etiam sequentes: 1.) Qui ad ditescendū præcipites s. accelerantes sunt, eorum Divitiæ celeriter rursus pereunt, verum & hinc illud; quod citò fit, citò perit. הכל הולך לעמר שבת. Omnia abeunt, sicut veniunt, ex *Eccles. V. 15.* 2.) Qui se nimium fatigant, ut ditescant. 3.) Qui labori & industriæ suæ adscribunt Divitias, quas possident. 4.) Illi, qui cum Divitiis magnas sibi compararunt artibus pessimis, solent tamen gratias agere Deo, quasi ei divitias suas acceptas ferrent.

XXVIII.

Finis Divi-  
tiarum:

I. Cultus Dei.

Sed quis est finis Divitiarum? Resp. 1.) Cultus Dei. Dandum est DEO & ministerio. Quemadmodum enim flumina sunt ex mari, & in mare redeunt, ita omnia bona nostra sunt à Deo, & ad Deum iterum redundant. Hinc benè monet sapientissimus Regum, *Prov. III. 9.* honora Deum de substantiâ tuâ, & de primitiis omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate & vino torcularia tua redundabunt. Ita & ejus Parens optimus Rex ac Propheta David, cum ad ædificium templi largâ manu contribuisset, ad Dominum dixit: Tua sunt omnia,



omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi, 1. *Paralip.* XXIX. 14. Cavendum igitur omnibus modis est, ne Divitiis ad stabiliendam ac fovendam Idololatriam abutamur.

XXIX.

Dandum est de Divitiis 2.) Magistratui. Memores sumus *II. Magistratus* illius CHRISTI, *Matth.* XXII. 21. Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris. *tus.* Quod etiam Gentium Doctor vult *Rom.* XIII. 7. reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. vid. in primis *Marquardi Freberi Dissert. de Numism. Censuræ, Francisci Monceji Aaroni purgato annexa, p. m. 348. seqq.* Dandum 3.) li- *III. Familia-* beris ac familiæ, qui enim suorum & maximè domesticorum, curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior, 1. *Timoth.* V. 8 Dandum est 4.) Pauperibus, & quidem libenter, *IV. Paupe-* non cum tædio aut opprobrio, hilariter, non cum tristitiâ, simp- *res.* pliciter, sine jactantiâ, fideliter, non ex bonis alienis, non ex inutilibus aut pravis. Huc illud: מלח ממון צדקרה Sal divitiarum est eleemosyna. Hæc si divitiæ salitæ sint, constanter permanent, ut caro sale conservatur à corruptione. Hinc dicunt quoque: מלח ממון חסד Sal divitiarum est beneficentia, *Ketubb fol. 66. col. 2.* Et הרוצה שיתקומו נכסיו יטע בהן הרוצה: Qvi cupit ut stabiles maneant opes ejus, plantet in illis Adra, i. e. faciat ex illis Eleemosynam. *Betza fol. 15. col. 2.* vid. omninò *Valentin. Leuchtius in Viridario Reg. de Liberal. in Paup.* Utinam hoc observasset dives Epulo, in æternum aternæ damnationis barathrum haut detrusus fuisset, si vera est Historia, ut censent *Tertullianus II. Lib. cap. 4. adversus Marcion.* *Hilarius Enarrat. in Ps. II. Nic. de Lym;* quamvis secus statuunt *Theophylactus & Chrysostomus Homil. 65. ad populum Antioch.*

XXX.

Divitiæ per se neminem damnant, hinc Servator *Matth.* Divitiæ sunt VI. non prohibet habere Divitias, sed iis inservire. Nam α) di- *res indiffe-* vitia sunt mediæ, per se neq; bonæ neq; malæ, sed pro diverfi- *rens.* tate utentium vel benè se habent, vel malè. β) Multi fuere divites Deo placentes, Abraham, *Gen.* XII. Israël, *Gen.* XVI. David, Salomon, Hiskias &c. *Lutherus Tom. V. Altenb. p. 1200.* Ehre in der Welt!



Welt/ Reichthümer/ Freud und Luste sind an ihnen selbst nicht sündlich / noch böse / noch eitel / aber unsere Sorge und Gedancken / dadurch wir uns das alles gedencfen zu erlangen / wie wirs gern haben / dieselben sind böß / eitel / nichts und auch sündlich .xc.

XXXI.

Divitias non impedire fideles signantissimis verbis B. Lutherus testatur Tom. I. p. 777. a. Was hindert die heiligen Väter / Abraham / Isaac und Jacob / daß sie reich waren ? Was hindert David sein König-Stuhl / Daniel seine Gewalt zu Babylonien / und alle die in hohem Stande oder grosssem Reichthum waren / oder noch sind ? So ihr Herz nicht drauf giebt / noch das Seine drinnen sucht ? Salomon spricht Proverb. XVI. 2. Gott der wiegt die Geister / das ist / Er richtet nicht nach dem äusserlichen Ansehen und Formen / ob sie reich / arm / hoch / niedrig sind ; sondern nach dem Geist / wie sich der drinnen halte : Es müssen solche Form und Unterschied der Personen und Ständen bleiben auf Erden in diesem Leben / aber das Herz soll nicht anleben noch fliehen / nicht hangen an den Hohen und Reichen / nicht fliehen die Niedrigen und Armen. Sint qui dicant, Divitem manentem in divitiis suis, regnum DEI non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit. Resp. Evaserunt istorum Disputationes Patres nostri, Abraham, & Isaac & Jacob, qui tantò ante ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non paucas divitias, sicut fidelissima Scriptura testatur : multos tamen venturos ( *Matth. IX.* ) ab oriente & occidente, & non supra ipsos, vel extra ipsos, sed cum ipsis recubituros in regno Cœlorum, ille ipse, qui propter nos factus est pauperrimus, cum verè dives esset, veracissimâ promissione prædixit. Objicias porò illud *Matth. XIX. 24.* Facilius est Camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei. Resp. CHRISTUS hîc divitem appellat cupidum rerum temporalium, & de talibus superbientem. Distingv. inter facultates & cupiditates malas, illæ per se non damnant, sed hæ. In quodam divite est pecunia, non avaritia, in quodam homine non est pecunia, at avaritia.

XXXII.

Divitia non

Observandum hoc, quod diximus, contra Stoicos, qui Divitias



vicias planè rejiciendas esse existimarunt, *Laërtius lib. 7. in vitâ sunt rejici-*  
*Zenonis, Cic. lib. 5. Tusculan. Quest.* Distingv. inter Divitias planè *enda.*  
rejicere, & eas spernere, illud fieri non debere rationes adductæ  
evincunt, hoc verò omninò faciendum est. Sic sprevit Moses  
*Hebr. XI. 26. Bias, Valer. Max. lib. 7. cap. 2. Sabellicus lib. 7. cap. 1.* Ale-  
xander M. Phocioni obtulit magnam prædæ Persicæ partem,  
quam sprevit. Sic Marcus Curius Samnitum munera con-  
temfit. *Qvi in tempore contemnit Divitias, haut malè facit.*

XXXIII.

Possunt igitur Divites Divitias retinere, possunt etiam iis- *Divites quo-*  
dem frui suasq; res inde augere, possunt bono nomine pro an- *modo uti*  
nuo censu eas elocare, possunt agros, aut domos, aut prædia e- *fruiq; pos-*  
mere, modò priùs observaverint fines illos, de quibus §. 28, sq. *sint Divitiis.*

XXXIV.

Atque hæc sunt commoda, quæ præstare possunt Divitiæ, *Divitiarum*  
si modò iis rectè utimur; nunc Incommodum, quod in Rubri- *Incommoda;*  
câ Dissertationis sequitur, estq; Egestas Divitum, videam-  
us. Antequam hoc præstemus, placet *ὡς ἐν παρῶν* non-  
nulla alia præmittere. Qvis ignorat Divitum curas ac Sollici- *Cura ac So-*  
tudines? *Lutherus Tom. III. Altenb. p. 321 a.* Wo wir gleich Reich- *licitudines.*  
thum haben/ so müssen wir die Feinde mit haben/ und in grossen Sor-  
gen stehen / müssen hier sorgen/ dort sorgen/ und in alle Winckel des  
Hauses sehen/ da müssen wir sorgen/ daß es nicht gestohlen wird / daß  
es die Motten nicht fressen/ oder das Feuer kömme und verzehre es &c.  
Das ist zwar ein schlechtes Reichthum/ da das Herz also in Sorgen  
muß stehen / und keine ruhige Stunde hat. Sic Judæi: *מְרַבֵּה מְרַבֵּה דְאִנְיָהּ*  
*מְרַבֵּה נְסִיבֵה מְרַבֵּה דְאִנְיָהּ* Qvi multiplicat Opes, multiplicat Cu-  
ras; *Hillel in Pirke avoth. Cap 2.* Non ignoravit hoc Venusinus  
Poëta 3. *Carm. Od. 16. in hæc erumpens:*

*Crescentem sequitur Cura pecuniam.*

*Nec abludit Juvenalis Satyr. 10.*

*Sed plures nimia congesta pecunia Curâ,  
Strangulat & cuncta exsuperans patrimonia census.*

*Ibid. Pauca licet portes argenti vascula puri,  
Nocte iter ingressus gladium, contumq; timebis,  
Et mota ad Lunam trepidabis arundinis umbram,  
Cantabit vacuus coram Latrone Viator.*

C

De-



Democritus ajebat, Divitias acqvisitas pluris afficere, amiffas dolores haud mediocres afferre, *Maxim. Serm. 12.*

XXXV.

Acuta legimus in מכור הפנינים Rabbi Salomonis Ben Gavirol: חכם אחד עבר על אדם אחד אמר לו היאך חריצותך לעולם אמר אני רודף אחריו אמר לו השגת תממנו רבר אמר לו לא כי אם מעט מזערי אמר לו אם לא השגת מהעולם הזה שאתה רודף אחריו וכי אם מעט מזער מרה תשיג, מהעולם האחר שאינך רודף אחריו: Sapiens quidam obviam factus cuidam, quæfivit ex eo; Esne sollicitus circa Res hujus Mundi? Respondit, omnino persequor eas: dixit sapiens; affecutus ne es aliquid de iis? Respondit, non nisi admodum parum: tum sapiens, si inquit, de Mundo hoc, quem summâ curâ sectaris, non nisi parum es consecutus, quid assequeris de Mundo altero, quem non sectaris?

XXXVI.

*Superbia.*

Similiter superbos & luxuriosos reddunt Divitiæ, *Symc. XIII. 4. Prov. XXVIII.* Socrates cum videret Alcibiadem ob divitias elatum animum gerere, & ob agrorum multitudinem superbire, adduxit ipsum ad locum, in quo Tabula quædam, ambitum terræ complectens, erat suspensa, & rogavit, ut Atticam ibidem requireret, quam cum invenisset, suos quoque fundos jusfit ostendere, & cum responderet, nusquam ibi pictos esse: Cur igitur, inquit, horum possessione te effers, quæ nulla pars sunt terræ, *Ælian. lib. 3.* Divitiæ inflant animos, Superbiam & Arrogantiam pariunt, *Seneca de Paupertate.*

XXXVII.

Haut nescivit hoc Sapiientissimus Regum, pias has preces fundens ad Deum, Bonorum omnium Autorem: Mendicitatem & Divitias ne dederis mihi, tribue tamen victui meo necessaria, ne fortè satiatus, illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus, aut egestate compulsus furer, *Prov. xxx 8. 9. Juvenal. Satyr. 6.* appositè ait:

*Prima peregrinos obscæna pecunia mores  
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu  
Divitiæ molles.*

Eodem modo cecinit *Ovidius Lib. I. de Remed.*

*Divi-*



B. Lutherus Tom. VIII. p.85. a. Stolz und Hochmutb / folget  
 gemeiniglich auff Geld und Guth / nach dem gemeinen Sprichwort:  
 Guth macht Muth. Et Tom. IX. p.173. a. Wie stolz und übermü-  
 thig macht wohl Geld und Guth / das doch unter den andern Gaben  
 das geringste ist? Darumb halten die Reichen / es seyn Edelleute /  
 Bürger oder Bauren / die andern Leute alle vor Mücken und Fliegen.  
 Agnoscunt hoc Judæi dicentes : תוֹנֵי עַם בְּמִקְוֵי מַיִם  
 Non est Humilitas ubi sunt divitiæ. Solon dicebat apud Diog.  
 Laërt Lib. I. p. 21. τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τῆς πλῆθους γενναῖος, τὴν δὲ  
 ὑβρίν ὑπὸ τῆς κόρου, ex Divitiis satietatem, & è satietate contume-  
 liam gigni. Quod Theognis reddidit v, 153.

Τίχρη τοι κόρος ὑβρίν, ὅταν κακῶ ὀλβος ἐπιταί.

Si opes sequantur improbum nimia satietas ferociam parit. *Ari-*  
*stophanes in Pluto Act. 2. Sc. 5.* è Dicto Solonis tantum extremis  
 inter se connexis: τῆς πλῆθους ἐστὶν ὑβρίζειν. Divitiarum pro-  
 prium est insolescere. Et *Terentius Hecyra Act. 3. Sc. 5.* li, quibus  
 paululum accessit pecuniæ, plerumque sublati sunt animi.  
 Nam opibus suis non aliter atque urbe munita freti, *Prov, X. 15.*  
 se ab omnibus fortunæ telis tutos existimant, ideoque pauperi-  
 ores insolenter præ se contemnunt, & quibuscunque possunt,  
 injuriis afficiunt.

XXXIX.

Divitiæ quoque sunt, quæ immisericordes reddunt, qualis  
 immisericordia fuit in Nabal, *1. Sam XXV.* in divite isto Epulo-  
 ne, *Luc. XVI.* Qui superbus Dives induebatur purpurâ & bys-  
 so, & epulabatur quotidiè splendidè, si pauperis ulcerosi, qui an-  
 te januam ejus contemptus jacebat, misertus fuisset, meritis &  
 ipse misericordiam fuisset. Sed immisericors iste mansit mer-  
 cedemque accepit. Nam teste Evangelio, cum apud inferos di-  
 ves iste in Tormentis esset, elevavit oculos suos, & vidit in infi-  
 nito gaudio eum, quem contempsit ante januam suam, & digi-  
 to ejus aquæ stillam desideravit, qui de mensa ejus cadentes mi-  
 cas expetierat.

Immiseri-  
cordia.

XL.

Cum Divitiis sæpe conjungitur Imprudentia. Divites sæ-  
 pe numero haut vident Retia & Casses Diaboli *1. Tim. VI. 9.* non  
 considerant Opum fugacitatem, fugiunt illæ, instar avium, quæ

Impruden-  
tia.



transvolant; sic Divitiæ post mortem ad alios transvolant. Olim Babylonii super Thronum Regis quatuor Aves pinxerunt, notantes quatuor Imperiorum fugacitatem, *Alexander ab Alex. Lib. 3. cap. 5.* Sic Divitibus, non quatuor, sed plures Aves pingendæ sunt, ut discant Divitias unâ cum Vitâ citò transvolaturas esse, *Psal. XLIX. 18.* Sed talium imprudentum ac stultorum Ingenia vix mutantur. Diogenes Cynicus apud *Laërt. Lib. 6. p. 215.* id hominum genus rectè *ὀψίβατα χρυσομαλλὰ* oves aureis velleribus præditas appellabat. Eiusdem formæ sunt græca illa: *πίθηκος ἐν πορφύρα*, Simia purpurata. Et illud *Luciani*: *πίθηκος ὁ πίθηκος, ἂν χρυσεὰ ἔχη σύμβολα*, Simia est Simia, etiam si aurea gestet insignia. XLI.

*Egestas & Avaritia.*

Incommodis aliis hæc vice præteritis, incommodum maximum est Avaritia & Egestas in rubrica Disputationis hujus memorata. Distingv. est, inter esse divitem & velle divitem fieri. Dives est, qui à Divitibus natus est, non qui voluit; vel Dives est, cui multi hæreditates dimiserunt; Cupiditas est accusanda, non aurum, non argentum, non divitiæ, sed Cupiditas. Illæ veræ dicuntur Divitiæ, quia quisquis eas habuerit, non egebit; injustæ verò, non quia injustum est aurum & argentum, sed quia injustum est, eas putare divitias, quæ non auferunt Egestatem. Quomodo sunt Divitiæ, quibus crescentibus crescit inopia, quæ amatoribus suis quantum fuerint ampliores, non auferunt satietatem, sed inflammant Cupiditatem.

XLII.

Magnam testium nubem de Divitum Egestate non minus ex Philosophis, quam Poëtis proferre possemus, sed quibusdam saltim jam erimus contenti. *Aristophanes in Pluto*: Reliquarum rerum omnium Satietas est, Amoris, panis, Musicæ, bellariorum, honoris, placentarum, probitatis, Caricarum, ambitionis, offarum, militiæ, famæ: tui verò, O Plute, neminem unquam satietas cœpit, sed si quis tredecim talenta accipiat, multò magis sedecim concupiscet: & hæc si consequatur 40. expetit, aut vitam sibi injucundam esse dicit. *Boët. Lib. 3. Consol. Phil.* Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis? fugare credo indigentiam quæritis copia? At qui hoc vobis in contrarium cedit, pluribus siquidem adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ supel-



supellectilis Varietatē, verumq; illud est, permultis indigere, eos, qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus sui Superfluitate metiuntur. Sic *Seneca Epist. 8.* Divitem illum putas, quem aurea supellex in viâ sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui multum suburbani agri possidet: cum omnia dixeris, pauper est, quare? quia debet. Quantum inquis? Omnia, nisi fortè tu dicas, utrum ab homine, an à fortunâ mutuum sumserit. XLIII.

Quid par Poëtarum, Ovidius & Juvenalis? Ille *Lib. I. Fastor.*

*Dives eget nummis; cereali munere pauper,  
Sic cum egeant ambo, pauper egens minus est.*

Hic *Satyr. 14.* — — — pleno cum turget sacculus ore;  
*Crescit amor Nummi, quantum ipsa pecunia crescit,  
Et minus hanc optat, qui non habet,*

XLIV.

Egestas talis rectè dicitur Avaritia, quæ vera est animi paupertas, ut ait *Plutarch. de Cupidit. Divit.* Is ibi sequentia habet: sitis potu, fames cibo sumto compescitur; at Avaritia nec Auro nec Argento saturatur, sed omne remedium morbum graviolem capit. Utq; Membrum scabiosum semper frictionis indiget, ita cupiditas divitiarum nunquam expletur. *Seneca Epist. 121.* Qui multum habet, plus cupit, quod est Argumentum, nondum satis habere, *Ausonius in Monastich. 7. Sapient.*

*Quis dives! qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.*

*Horat. 3, Carm. Od. 16.* Crescentem sequitur Cura pecuniam,  
*Majorumq; fames.*

*Ovid. 1. Fast. v. 211.* Creverunt & Opes, & opum furiosa libido,  
*Et cum possideant plurima, plura petunt.*

*Sic quibus intumuit suffusa venter ab undâ*

*Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

Hanc ob causam Diogenes ap. *Stobæum Serm. de Injustitiâ*, avaros hydropicis comparat: illos enim argenti plenos, hos aqua, semper plura desiderare, utrosq; suam in perniciem. *August. de C. D. ad Marcell. Tom. V. cap. 12. p. 390.* Pauperes avaros dicimus semper inhiantes & egentes. Quamlibet enim magnas pecunias habere possunt, sed in earum quantacunq; abundantiam non egere non possunt. Dicuntur Divites pecuniosi, sed interius e-



geni, si cupidi. *Ludov. Vives ad cit. Cap. V.* Avaritia, ait, pecuniæ studium habet, quam nemo Sapiens concupivit; ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effæminat, semper infinita, insatiabilis est, neq; copiâ, neq; inopiâ minuitur.

XLV.

*Divites boni.* Nemo verò hîc putet, nos omnes Divites vocare Egenos & avaros. Sunt certè Divites, qui divitiis suis rectè uti sciunt.

*Mali.* Meretur hîc legi *Dn. Henr. Mülleri CCLXVII. in Geistl. Erquickst. p. 549 550.* Sed de Divitibus avaris loquimur, qui licet abundant opibus eas tamen nec sibi ipsis, nec aliis usui esse patiuntur.

XLVI.

*Non aliis.* Non aliis, nec enim à mortuo petendum colloquium, nec ab avaro beneficium, inquit Socrates; Dives avarus est עכברא אדינרו Mus incubans nummis. *Sanhed. fol. 29. 2.*

המבקש מן הכילו בקשורה;

כמבקש חכמה מאשר;

וצניעות מקדשה;

ודגים מארץ יבשה;

*Qui petit aliquid ab avaro,*

*Est similis petenti sapientiam à fœmina,*

*Verecundiam à Meretrice,*

*Aut pisces ex terrâ siccâ.*

*Emanuel fol. 94. col. 1.*

הכילות גרועות;

והשאלה מן הכילו הפסד ומעות;

*Avaritia est indigentia,*

*Et petitio ab avaro, est perditio & error. Ibid.*

XLVII.

*Non sibi ipsis.* Non sibi ipsis. Bion, Divites, inquit, curam suarum agunt opum, quasi essent propriæ, sed nihil ex iis capiunt utilitatis, quasi essent alienæ, quia ne possident quidem suas facultates, sed ab illis possidentur, *Laërt. lib. IV.* Huc illud ex Epigrammatibus Græcis, sed incerti Autoris, *lib. IF. c. 50. & Stob. Serm. N. 53.*

Πολλὰς Μυριάδας ψηφίτζη Ἀρτεμίδωρον,

καὶ μηδὲν δαπανῶν, ἢ βίον ἡμῶσι.

πολλάκις αἰ χρεὺς πιαλφῆα φόρον ἔχουσα

πολλὸν ὑπὲρ νότου, χόρον ἔδρασι μόνον.

Mul-



*Multas Myriadas sibi colligit Artemidorus,  
Sed nihil expendens, Mulus ut alter agit.  
Nam licet hic aris pretiosum pondus & auri  
Sæpè ferat dorso, nil nisi gramen edit.*

XLVIII.

*Lutherus Tom.V. p.1234.* Alexander M. hat nicht genung an so viel Königreichen/ja nicht an einer ganzen Welt. Also gehets in allen andern Sachen/wer Lehre/Weisheit/Ehre/Guth/ Stärcke / Schöne/Gesundheit/hat zc. Läßt ihm doch nicht genügen. So ist dieses arme elende Leben den geizigen Menschen ein rechter Spiegel. Denn/wie die Geiz-Wänste und Pfennig-Küsser Geld haben/und dürffens nicht frölich brauchen/werden nicht eines Hellers froh / sehen immer weiter auff Geld/das sie noch nicht haben zc. *Huc Seneca Epist. 8. De sunt inopia multa, Avaritiæ omnia: In nullum avarus bonus est, in seipsum pessimus. Vel ut habet Publii Mimi Senarius: Tàm deest avaro, quod habet, quàm quod non habet.*

XLIX.

*Sapientissimè Sapientiss. omnium Regū scripsit Eccles. VI. 2.* Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed extraneus vorabit illud: hoc vanitas & miseria magna est. *Ad hæc B. Lutherus comentatur, ut solet accuratissimè, Tom.V. p.1237.* Salomon redet hier von einem solchen Reichen / welcher grosse Güter und viel Gesindes hat/ und sitzt in grossem Gedenen und allem Vorrath/und hat seine Güter in Friede ohne Anfechtung und Schaden/un giebt ihm doch in der grossen Ehre und Gütern Gott nicht Gnade zu gebrauchen/ deñ er fräncktt sich selbst mit Sorgen/oder hindert ihn Haß und Neid.

L.

*Comparantur Divites avari Tantalò, qui medias inter aquas Comparantio. fitit, de quo Horatius lib. I. Serm. Satyr. 1.*

*Tantalus à labris sitiens fugientia captat*

*Flumina: quid rides! mutato nomine de te*

*Fabula narratur: congestis undiq; saccis.*

*Indormis inhians & tanquam parcere sacris*

*Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.*

*Nemo obsoniorum aut vini avidus ab iis abstinet; at dives propter*

*pter*



pter avaritiam pecuniâ non utitur, non secus, ac si quis propter frigus veste, propter famem pane non uti velit. Talis Dives avarus est sicut afinus balneatoris, iudicio *Plutarchi* *De Philopoliâ*, f. 342. Σὺ μὲν τοσαῦτα πρῶγμαλα σινέχεις καὶ τρεῖς καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑπτά σπασίον κοχλίας βίον ζῶν διὰ τὴν μικρολογίαν, καὶ τὰ δυσχερῆ πάντα ὑπομύεις, ἃ δὲν εὖ πάσχων, ὡσπερ ὄνθ βαλαρέως ξύλα καὶ φεύγανα καλαχομίζων αἰεὶ κάπνισ καὶ τέφρας ἀνάπιμπλάμνθ, λυτρεῖ δὲ μὴ μετέχων, μηδὲ ἀλίας μηδὲ καθαριότηθ. Tu tā multa negotia sustines, agitas te & tumultuaris, ac cochleæ vitam agis, obsordes, omnesq; acerbitates toleras, neq; pateris tibi bene esse, aut nihil inde capis comodi, sicut Balneatoris afinus: qui licet semper ligna & sarmenta apportet, fumo tamen & cinere est oppletus, sed balnei, teporis ac nitoris nunquam fit particeps.

L I.

*Effectus Dittum avarorum.*

Perdit talis Dives avarus Respubl. florentissimas. *Phil. Macedo* argenteis pugnans hastis expugnavit omnia. Idem nullū sibi arcem inexpugnabilem esse dicebat, ad quam aditus pateret afino, qui auro onustus sit, *Plutarch. in Apophth. Reg. & Imperat. Cicero lib. 1. ad Att.* Dignissimus etiam est notatu *Livius in Prefat. sui Operis, p. m. 3. Edit. Grut. 1659.* de Urbe Romā: Nulla, inquit, Respubl. nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit; nec in quam tam serò avaritia luxuriaq; immigraverint; nec ubi tantus ac tamdiu paupertati ac parsimonix honos fuerit; adeò quantum rerum minus, tantò minus cupiditatis erat. Nuper Divitiæ avaritiam & abundantes voluptates desiderium per luxū atq; libidinem pereundi perdendiqve omnia invexere. Plura de his lege in *Joannis à Chokier de Surlet, Thesaur. Polit. cap. XIX. p. m. 316. 317. seqq.* It. in *Francisci Baconis de Verulamio Libro. de Dignit. & Augment. Sc. Lib. I. p. m. 17. seq.*

L II.

*Votum.*

Sed quis omnia referre sustineat, quæ à Divitib<sup>9</sup> avaris omitendo & comittendo oriantur? Contrà à liberalibus ingeniis liberalitatem exercitam Rebuspubl. magnæ esse utilitati ac salutis, nemo sanæ mentis ibit inficias. Rogamus Deum O. M. ut non minus Munificentiam, quam virtutes reliquas in omnibus hominibus excitet, quò nunquam non vitiorum omnium summus omnes hostes infensissimi.

S. D. G.

*Coll. diss. A. 36, misc. 55*